


HISTOIRE  
DE  
MOÏSE.

Par  
M. de  
Lamoignon.





DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
DE  
PARTU DIFFICILI  
EX POSITURA UTERI OBLIQUA

---

QUAM  
SUB DIVINI NUMINIS PRÆSIDIO  
EX DECRETO  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS  
MEDICÆ

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAJORUM  
RITE OBTINENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

BENEDICTUS PELIZÆUS,  
RITTBERGA - WESTPHALUS.

AD D. I. JULII A. M D CC LVIII.

---

ARGENTORATI,  
Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancellariæ Typographi.



DISSERTATIO INVALENTIAE  
MEDICAE CHIRURGICAE  
DE  
PARTU DIFFICILI  
EX POSITURA UTERI ORIENTIS  
—————  
AUCTOR  
SICUTI QUONIAM PRIMUM  
EX DEBITO  
GRATIOSISSIMAE FACULTATIS  
MEDICAE  
PRO LICENTIA  
SUMMIUS IN MEDICINA HONORIS ET  
PRAELEGAE DOCTORUM MORE SACRAE  
CIVITATIS  
SOLIMAE TRACTORUM EXAMINIS SUAVITATE  
BENEDICTUS THOMAS  
RITHBERG WESTPHALIS  
AD D. I. JAHN A. M. D. CC. XLV.  
—————  
LAEGETORUM  
Typis Simonis Mackensii, Carolinus I. Vogelpol.



*CELSISSIMO*  
*ET*  
*EXCELLENTISSIMO*  
SACRI ROMANI IMPERII  
COMITI  
AC  
DOMINO DOMINO  
ERNESTO  
CHRISTOPHORO  
COMITI HÆREDITARIO  
A  
KAUNITZ-RITTBERG



UTI ET  
DOMINIORUM ESENI, STEDESDORPII, WITTMUN-  
DÆ, EHDENII ET MELRICÆ, NEC NON DYNASTIA-  
RUM AUSTERLITZII, HUNGARISCHBRODÆ, MA-  
RISCHPRUSSÆ, MAGNI - ORCHEVAVII,  
BONOVII, NESDENITZII ET  
PRACHSCHUTZII &c. &c.

SACRARUM CÆSAREARUM REGIARUM  
MAJESTATUM  
CAMERARIO  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

DAT DICAT CONSECRAT

*Humillimus subditus & Client*  
BENEDICTUS PELIZEUS, Rittberga - Westphalus,





DE  
PARTU DIFFICILI EX POSI-  
TURA UTERI OBLIQUA.

§. I.



Inter mulierum partes genitales gene-  
rationi inservientes, quæ in genere in  
pudendam, vaginam, & ipsum ute-  
rum dividi possunt, præ reliquis ute-  
rus respectu thematis nostri paullo fu-  
sius considerari meretur. Est vero  
uterus pars sexus sequioris organica, cava, ex fibris  
carneis, multis vasis sanguiferis, lymphaticis &  
nervis interjectis composita, in pelvi vesicam uri-  
nariam inter & intestinum rectum media, forma  
gaudens pyriformi seu lagenæ complanata, in qua  
foetus ad exclusionem usque retinetur.

A

§. II.

## §. II.

Uterus (§. I.) definitus, anatomice consideratus non pauca offert notatu digna; quoniam vero non omnia ad scopum meum faciunt, prætereaque REGNERUS DE GRAAF (a), WINSLOW (b), aliique scriptores anatomici amplissima de eodem verba fecerunt, B. L. ad hos fontes ablego; & ne limites specimini huic inaugurali dicatos præter necessitatem transgrediar, ista tantum tangam, quæ, quoniam sequentia illustrant, sicco pede transire nefas esset.

## §. III.

Gaudet uterus quatuor faciebus, una anteriore, una posteriore, & duabus lateralibus. Duæ præterea in eodem concipi possunt sectiones transversæ; prima scilicet eo in loco, ubi maxima est uteri latitudo, i. e. tubarum inter fallopianarum insertiones; & altera, ubi minima invenitur uteri latitudo, quibus uterus in tres dividitur partes, nimirum in fundum, corpus & cervicem. Fundus uteri dicitur pars ejus superior supra primam sectionem enata, & ad figuram hyperbolicam accedens. Pars vero ejus inferior infra alteram sectionem locata, & figuram conoideam duplicem habens uteri cervix salutatur. Parti vero ejus inter duas istas imaginarias

---

(a) In Tractat. de mulierum organis generat. inserv.

(b) Exposit. anat. traite du bas ventre §. 589. & seqq.



rias sectiones mediæ & coni truncati figuram referenti , corporis nomen imponitur ( a ).

§. IV.

Cervicem uteri duplici gaudere figura conoidea (§. 3.) innui. Anatomica enim inspectio docet uteri cervicem ab ejus corpore separatam in medio esse latiore, sensim sensimque vero extremitates versus angustiore fieri. Cervix ergo uteri ex duobus quasi conis truncatis basibus suis inter se unitis compositus est, quorum alter apice suo corpori matricis adhæret, alter vero apex cum inferiori coni truncati reliqua parte, circum cujus basin vagina uteri adnata est, in hunc propendit, & osculo ori glandis penis simili perforatur, quod internum uteri orificium salutatur.

§. V.

Uterus quatuor adnexa habet ligamenta, nimirum duo superiora lata dicta, & duo inferiora, quæ rotunda audiunt. Lata ligamenta ob aliquam similitudinem etiam nomine alarum vespertilionum gaudentia, istæ salutantur peritonœi productiones, quæ ab uteri vertice juxta laterales matricis margines latam formant duplicaturam, & ad ossa ilei usque, quibus adhærent, excurrunt, tubasque Fallopii, ovaria cum ligamentis rotundis aliisque

A 2

parti-

---

(a) HEISTERI Compend. anat. p. m. 103.

partibus includunt (a.). Rotunda seu teretia ex duplici membrana composita, omnique vasorum genere dicata ex uteri parte laterali prope tubarum fallopianarum insertionem suam trahunt originem, & inter peritonæi duplicaturam in utroque latere inguina versus ascendunt, eodemque modo, uti funiculus spermaticus in viris musculorum abdominalium annulos perfodit; Oblique dein supra pubis ossa se conferunt, atque prope clitoridem in pinguedine divaricatis finibus evanescunt. Lata ab initio admodum sunt, ita ut fere ad collum matricis usque descendant, quo propius vero ad anulum appropinquant, eo magis angustantur, tandemque plane rotunda fiunt (b).

§. VI.

Ligamentorum ortu, progressu, & insertionibus expositis in eorundem usum inquirere, illorumque functiones determinare instituti ratio postulat. Usus præcipuus, quem ligamenta tam lata quam rotunda præstant, in eo consistere mihi videtur: ut uterum non imprægnatum, imprimis vero gravidum, imo etiam post partum in situ cum pelvis axi parallelo sustineant, & sic impediunt, ne facile a situ suo naturali aberret, & vel nimium inferiora scilicet vaginam versus descendat, aut plane pro-

(a) WINSLOW l. c. §. 601. & seqq.

(b) R. DE GRAAF l. c. p. 145. & seqq.

prolabatur, vel invertatur, aut latera versus declinet. Ante imprægnationem quidem, & post partum, quando uterus ad pristinam sese magnitudinem iterum contraxit, rarissime nisi relaxata nimis vagina inferiora versus descendere, post partum vero ex rudiori funiculi umbilicalis attractione, si placenta forsitan uteri fundo fortiter nimis adhæret, facilius inverti potest; ne vero sæpius tale eveniat incommodum, lata præprimis ligamenta impedire videntur; quippe quæ non nisi ultra modum relaxata, aut naturali eorum robore externa vi superato matricem in vaginam & ultra descendere, vel inverti sinunt. Rotunda vero uteri ligamenta eundem magis in gravidis, postremis scilicet gestationis temporibus sua in sede detinere videntur: hoc tempore enim magnam in molem excrevit, & ultra pelvis ossa ascendit. Facile igitur his sub circumstantiis in hanc illamve ventris partem inclinare posset, si præter illam cum vagina cohæsiorem nullis aliis idoneis sustineretur fulcris. Ligamenta rotunda præ latis huncce usum præstare, & eorundem ortus & fabrica indicare videntur. Non enim solum prope matricis fundum oriuntur (§ 5.) sed & ad ipsius collum usque fere descendunt, unde uteri latera a fundo ad collum usque firmiter sustinere valent; cumque præterea eorundem fabrica ab ista uteri §. citat. parum differat, probabiliter concludere licet eadem eodem modo ut uterus crassitie pedetentim augeri, unde eorundem tono majus robur accedit, quod sustinendo majori matricis ponderi par est.

§. VII.

§. VII.

Præter usum §. præced. indicatum, uteri ligamenta alia adhuc haud parvi momenti commoda in & post partum præstant. 1.) Partum adjuvant, eumque faciliorem reddunt: Cum enim uterum in naturali situ detinent, axis ejusdem cum pelvis axi coincidit, unde infans cæteris paribus, cum iste in pelvis axi constitutus sit, facile & absque ullo impedimento per pelvis angustias prodire, & in lucem edi potest. Cum e contrario ex uteri situ obliquo, quamvis infans optime versus sit, semper difficilis partus oriatur, quoniam capite suo pro ratione obliquitatis vel in pubis vel sacri os, vel in dextram vel sinistram pelvis partem impingit, ibique immobilis quasi clavo affixus hæret. 2.) Uterum post partum mediante contractione in pristinum locum & genuinum situm restituere solent. Præterea DIONISIAM aliam ligamentis præcipue rotundis tribuit functionem: dum nempe mediantibus illis uterum in coitu peni appropinquari dicit. Ast, qui eorum substantiam attente examinat, facile perspiciet, illa musculorum munere fungi minime posse; ad hæc talem uteri motum coitus tempore plane supervacaneum esse ducimus; quam ob rem DIONISIO in hac sententia assentiri non possumus.

§. VIII.

Ligamenta ergo uteri eundem in situ naturali  
reti-

retinent (§.7.). Uteri vero situm naturalem illum voco; si linea à centro fundi ad orificii centrum ducta i. e. axis longitudinalis cum pelvis axi coincidit, sicque uterus in neutrum latus inclinatur. Est vero pelvis axis linea, quæ perpendiculari ductu in medium istius lineæ cadit, quæ ab arcus ossium pubis medio ad ossis coccygis apicem ducta fingitur. Quod si linea hæc perpendicularis inferiora & horizontem versus continuatur, non sub angulo recto, sed acuto in eundem cadit, superiora vero versus producta, ad umbilicum accedit (a); In quodcunque igitur latus uteri axis a pelvis axi recedit, situs uteri obliquus seu præternaturalis oritur.

§. IX.

Causæ, quæ rectum uteri situm in obliquum transmutant vel 1.) in ipso utero, vel 2. extra uterum quærendæ sunt. Causæ in ipso utero, vel a.) ante imprægnationem jamjam exstiterunt, vel b.) eodem gravido factò demum enascuntur. Ad causas, quæ ante imprægnationem jam præsentés fuerunt, referri possunt: 1.) naturalis atque connatus obliquus uteri situs. Quemadmodum enim varia viscera quandoque a naturali suo situ longe remota reperiuntur, ita etiam matrix ab axi pelvis errore naturæ declinare potest. 2.) Cicatrices, vulnera, vel exul-

---

(a) Vid. ROEDERI Profess. Götting. de axi pelvis programma.

exulcerationes matricis insequentes, scirrhi aliique tumores: his enim æqualis uteri expansio impeditur, naturalis figura vitatur, æquilibrium tollitur; unde non mirum: quod utero imprægnato & foetu majus incrementum capiente in illud postea latus inclinet, in quo vitium hæret. Quæ gravido factò utero demum enascuntur causæ, sunt: 1.) Placenta non fundo, sed laterali matricis parti adhærens: ex hacce enim incongrua placentæ adhæsiõne æquilibrium inter uteri partes tollitur, & uterus isto in latere, cui placenta adhæret, gravior redditur, quam in opposito. Ligamenta dextri lateris, ponamus placentam sinistro adhærere, quoniam sola placentæ pondus sustinere debent, nimium extenduntur, robur naturale pedetentim amittunt, ultra modum relaxantur, quo fit, ut levissima etiam causâ uterus in sinistrum latus ruat. Non enim tanto prædita sunt robore ligamenta, ut in omni casu sub quibusvis circumstantiis uterum gravidum ex pelvis cavitate superiora versus ascensum, undique fere liberum in situ suo naturali conservare valeant.

### §. X.

Quod vero placenta, quemadmodum quotidiana docet experientia, non semper uteri fundo, sed etiam aliis illius partibus sæpe adhæreat, inæquali matricis post conceptionem contractioni adscribendum esse duco. Ovulum enim maturum parvo petiolo ovario adhærens in coitu a tubæ fallopianæ simbriis, aut

aut jamjam in ovario aura feminali imprægnatum, aut in trajectu per tubam demum imprægnandum abripitur, & in uteri cavitatem fertur, & quidem ita: ut ovulum ipsum tanquam pars gravior inferiora versus uteri fundum nempe respiciat. Ovulum tali modo in uterum delatum ab ipso æqualiter sese contrahente fundo apprimitur, ita ut eundem petiolo suo tangat, qui postmodum mediantibus filamentis suis pullulantibus eidem accrescit, & placentam format. Ita sese res habet, si uterus æqualiter contrahitur. Quando vero inæqualis est contractio, ita ut dextrum uteri latus v. g. magis se contrahat, quam finistrum, tunc ovulum quoque necessario hunc motum sequetur, petiolusque lateri sinistro obvertetur, cumque eodem concrefcet. Oritur hinc præternaturalis placentæ cohæsiō, quæ obliquo uteri fitui haud raro ansam præbet.

### §. XI.

Ad caussas obliqui situs matricis eadem imprægnata demum enatas 2.) quoque pertinet ipse fœtus in utero male locatus; hoc in casu enim huic vel isti lateri magis incumbit, unde iisdem ex rationibus (§. 9.) allegatis uteri æquilibrium tollitur, uterusque ab axi naturali deflectit. 3.) Etiam huc referenda intestina ab utero gravido in alterutrum latus pressa: Uterus enim ante imprægnationem vesicam urinariam inter & intestinum rectum in pelvi ab intestinis contactus reconditur; gravidus vero fa-

B

ctus

ctus moles ejus indies augetur, supra pelvim in abdomen ascendit & intestina sursum pellit; quod si hæc uteri fundum undique æqualiter cingunt, ipse naturalem situm retinet; si vero intestina in hoc vel illud latus compelluntur (a) id quod non raro a prava matris consuetudine uni eidemque lateri tantum incumbendi a nimio motu contingere solet, uterum necessario in oppositum latus premi necesse est.

§. XII.

Inter causas uteri obliqui extra eundem quærendas recenferi debet. 1.) Mala atque adnata ligamentorum alterutrius lateris conformatio, si v. g. breviora sunt. 2.) Hujus vel istius ligamenti ex inflictio vulnere prægressa suppuratione, & insequente cicatrice, imminuta naturalis longitudo. 3.) Unius ligamenti præ altero congeneri major relaxatio: istud enim uteri latus, cui ligamentum relaxatum adnectitur, non amplius sufficienter sustinetur, æquilibrium hinc ulterius servare nequit; sublato vero uteri æquilibrium ipse facili negotio obliquatur, præcipue si motus gravidarum excedens accedit, licet hic per se consideratus obliquum talem situm nunquam producat; alias enim quam plurimæ gravidæ, cum omnes fere ratione motus minime sint sollicitæ, perversa uteri positura laborare deberent, quod vero omni experientiæ repugnat. 4.) Vitiata pelvis  
figu.

---

(a) DEVENTER P. I. p. 204.



figura, quæ partim a distantia ossa pubis inter & os sacrum nimis angustata, partim a distantia ossium ilei a se invicem justo minori, aut ab alia quacunque ossium pelvim constituentium mala conformatione oritur; hæc quoque figuræ pelvis vitia, cum æqualem uteri extensionem quam maxime impediunt, in causa sunt, cur uterus obliquetur.

§. XIII.

Explicatis (§. §. 9. 10. & 12.) causis, quæ uteri situm rectum in obliquum mutant, quot modis ille obliquari possit, ut explicem, ratio exigit. Verum enim vero, cum infinitæ fere sint pravæ uteri positionæ, nimis tædiosum foret, si singulas exacte enumerare vellem; hinc eas tantum fusius explicabo, ex quibus reliquæ facile possunt comprehendere. Cum quatuor diversæ in matrice statuantur facies (§. 3.) quatuor etiam pravi uteri situs modi cardinales commode assumi possunt. 1. Pravus uteri situs est: si fundus anteriora umbilicum gravidæ versus nimirum propendet, os uteri vero os sacrum respicit. 2. Si fundus spinæ dorsi apprimitur, os vero pubis ossibus obvertitur. 3. Si fundus uteri dextrum abdominis latus occupat, os autem sinistro ossi ilei insistit. 4. Si fundus uteri in sinistro latere hæret, & os ad dextram pelvis partem adigitur. Omnes hæc species tam durante graviditate quam ipso partus tempore varia conjuncta habent signa atque effectus, ex quibus cognosci & a se invicem distingui possunt.

B 2

§. XIV.

§. XIV.

Ipso gestationis tempore gravidæ infimus venter ea in regione, quam uterus una cum foetu occupat, durior, magis elevatus atque expansus existit, quam in opposita, in qua intestina, quæ ab utero ut plurimum huc propelluntur, tactui non adeo resistentia ventrem magis mollem & quasi vacuum reddunt; foetus motus frigida manu matris ventri applicata, vel facile, vel plane non, vel in alterutro latere tantum percipi potest; sic v. g. primo in casu gravidæ venter anteriora versus multum propendet, durus est, foetus motus applicata manu facile sentitur. In secunda specie abdomen molle est, nullum foetus motum manus ventrem tangens, excepto in tertio gradu, in quo immediate supra pubis ossa tumor quidam durus, rotundus, ab infantis capite ibidem locati proveniens sentitur, percipit. In tertia specie dextrum abdominis latus magis intumescit, indurefcit, quam sinistrum, ac foetus motus tantum in dextro latere persentitur. In quarta specie omnia præcedenti contraria persentiuntur & observantur. Porro uteri orificium situm cum axi pelvis parallelum retinere nequit, sed in plagam fundo uteri oppositam vergit, & pro diversa situs uteri obliqui specie huic vel isti pelvis parti obversum est; unde in exploratione ejus gravidatis tempore adeo necessaria haud parva quandoque exurgit difficultas: pro majori vel minori obliquitatis gradu enim vel plane non vel difficulter admodum tangi potest. Idem etiam incommodum instante

stante partu negotium faceffit. Præterea hoc ipfo tempore parturiens spuriiis excruciatu doloribus, qui orificiũ uterini dilatationem minime promovent, fed potius impediunt. Tunicæ foetum cum aqua continentes ob nimiam compreffionem citius, quam in partu facili ordinario contingere folet, difrumpuntur, & fic præmaturo aquarum effluxui, qui quidem non fimul & impetuoſe, fed ſucceſſive & furtim quaſi contingit, anſam præbent; ex qua circumſtantia ſola partum difficilem reddi nequidem artis obſtetriciæ tyronem fugit; & quamvis poſt aliquot temporis intervallum spurii dolores in veros tranſmutantur, nihil inde commodi neque mater neque infans percipiunt, fed parturientis vires inanibus his conaminibus exhauriuntur, & infans tanta ſæpius vi ad pelvis oſſa impingit, ut infracto cranio moriatur.

§. XV.

Gravida, ſi intra breve temporis ſpatium pauciſſimis atque genuinis doloribus citra notabilia ſymptomata ſola naturæ vi, ſine arte vel alieno auxilio infantem & paullo poſt ſecundinas ſine notabili quodam obſtaculo in lucem edit, iſtum partum facilem vocari, haud dubito. Ille vero, qui ob graviora impedimenta longius durat, nec non permultis & vehementiſſimis ſymptomatibus ſtipatur, ita ut inde tam matri quam infanti noxa haud raro inferatur, niſi perita obſtetricantis manus ambobus citam opem ferat, difficilis ſalutari meretur.

B 3

§. XVI.

## §. XVI.

Qui ea, quæ (§. 13. & seqq.) proposuimus, attento perpendit animo, facile concludere poterit, situm uteri obliquum inter primarias partus difficilis causas jure non immerito referri debere; in tali enim rerum statu parturiens dirissimis excrucietur doloribus spuris, rarissime aut nunquam absque perita obstetricantis manu a mole sua liberatur, horrendis convulsionibus, lypothimiis lethalibus haud raro corripitur. Imo dum foetum in lucem edere allaborat, ipsa sæpe luce privatur. Nec minus infanti minitatur periculum: præterea enim, quod sub hoc uteri situ, infante licet optime verso, si soli naturæ opus relinquitur, foetum eniti minime possit parturiens, contusionibus, luxationibus, fracturis, immo mortis periculo expositus est.

## §. XVII.

Licet vero uteri situs obliquus partum efficiat difficilem, attamen inde exurgens difficultas, pro uti nimirum obliquitatis gradus varius est, quam maxime variat. Triplicem itaque melioris perspicuitatis gratia uteri obliquati gradum assumamus: Utero enim male locato, infante vero naturaliter verso, hujus caput vel directe huic, vel isti pelvis ossi impingit, vel supra, vel magis infra istud os, nimirum vaginam versus dirigitur. Optime hinc a majori vel minori, vel inter has media uteri axeos a pelvis axi decli-

declinatione graduum differentia desumi potest. Quod si enim axis uteri intra vaginam adhuc cadit, ita ut major quam dimidia cranii pars vaginam respiciat, primum; si vero uteri axis pelvis ossibus obvertitur, ita ut totum foetus caput illis insit, secundum; & tandem si uteri axis supra superiorem ossium pelvis marginem cadit, ita ut infantis caput hæc ossa plane translatabatur, tertium gradum constituit. Notandum præterea foetum in utero male locato non semper bene versum, sed quandoque etiam præter naturam locatum esse posse; Nobis vero in sequentibus, quando quid obstetricanti in quolibet gradu agendum sit, declarabimus, de eo tantum casu sermo erit, in quo foetus bene locatus est, licet nos haud fugiat, quod differentia situs infantis in primis in secundo atque tertio gradu ratione modi operandi nullam cæteris paribus pariat differentiam.

*Scholion.* In primo gradu totum fere os uteri internum, in secundo non nisi dimidia atque inferior ejus pars, in tertio aut plane non, aut ad summum inferior ejusdem margo tactu explorari potest.

### §. XVIII.

Diversi (§. præc.) obliquatæ matricis gradus ad specialem præternaturalis hujus status prognosin nos ducunt. In genere quidem tenendum, partum, in quamcunque etiam abdominis plagam uterus inclinatus sit, difficiliorem reddi, quo magis ipsius axis a pelvis axi recedit, & contra. In primo gradu,

du, in quo uteri axis intra vaginam adhuc cadit, infantisque minima cranii pars huic vel illi ossi pelvis insistit, partum satis adhuc faustum fore, spes haud vana affulget: dolores enim spurii sensim in veros mutati caput successive deprimere, & versus vaginam dirigere valent, vel saltem perita obstetricantis manu facili negotio eo deduci potest. Secundus gradus & matri & infanti magnum portendit periculum: quoniam enim hoc in casu vertex capitis in pelvis ossa impingit, infans his sub circumstantiis nunquam eniti potest; quemadmodum enim veri dolores in uterum directe positum, ipsumque foetum agentes, hujus caput partes molliores versus orificium nimirum, atque vaginam premunt, unde successivam harum partium apertionem, atque dilatationem, tandemque felicem foetus exclusionem efficiunt; Ita nostro in casu contrarium plane evenit: foetus enim caput dolorum vehementia ossibus pelvis tanta saepius vi apprimitur, ut cranium infringatur, cerebrum comprimatur, atque misellus sic vita privetur. Non raro quoque accidit, ut capite, id quod utero in alterutrum latus obliquato saepe saepius contingere solet, ab aquis sursum protruso, illisque jam defluentibus una superiorum extremitatum infantis in orificium deducatur, & ad humerum usque prolabatur, unde collum ita intorquetur, ut non solum sanguinis in capite circulus intercipiatur, sed collum etiam facile frangatur ( a ). Matrem

---

( a ) DEVENTER l. c. §. 244.

trem quod attinet, hæc haud minori exposita est periculo: Non solum enim ob externam interjectæ infantis capiti atque pelvis ossibus substantiæ uteri compressionem, lethalis hujus inflammatio, lochiorumque retentio oriri, sed etiam uterus dolorum vehementia convulsus a foetu exitum quærenti disrumpi potest. sæpius etiam placenta a diuturnis doloribus ab utero divulsa horrenda oritur hæmorrhagia, quæ non solum infantis ob interceptum sanguinis circulum, sed & ipsius parturientis vitam supprimit. Tandem, id quod etiam de tertio gradu dictum velim, licet omnia ex voto cessaverint, haud raro urinæ incontinentia per dies vitæ remanet. In tertio gradu cuncta deteriora sunt: Nam quoniam axis uteri supra superiorem ossium pubis marginem cadit, infans capite super hæc ossa translabitur, unde dolores etiam fortissimi illud nunquam in vaginam determinare possunt; cumque orificium uterinum hoc in casu vel plane non, vel non nisi maxima cum difficultate tangi possit, facile perspicere licet, quantum negotii manus in uterum introductio pro vertendo foetu obstetricanti faceffet, quæ tamen introductio his sub circumstantiis absolute necessaria est, nisi matris vel infantis, quin & utriusque interitus sequi debeat.

§. XIX.

Perspectis obliquitatis modis atque gradibus, ac pro horum diversitate indicata prognosi, ad curam mihi progrediendum atque dicendum est: qua methodo

C



thodo periculis (§. præc.) indicatis, obviam ire, ea avertere, sicque matrem cum infante conservare debeat obstetricans. Ut scopum hunc obtineat artis magister, duas formare debet indicationes generaliores, quarum altera ipsi adimplenda est. 1.) Aut pravus uteri situs corrigendus & caput infantis cum uteri ore in pelvim promovendus. 2.) Aut infans vertendus pedibusque extrahendus est. Quoniam vero varii dentur obliquitatis gradus ac modi, haud inutile erit, si, quid ratione hujus diversitatis obstetricanti in quolibet casu agendum sit, specialius atque concisè describam. Ut autem ordine procedam, secundum quadruplicem situm matricis obliquum modum operandi tradam, si prius adhuc admonuero, artis magistro ad tempus probe respiciendum esse, quo parturientem accedit: quoniam prima indicatio non quovis temporis periodo adimpleri potest; unde posthabita hacce distinctione, si vana spe seductus inutiliter tempus terere vellet, & matrem & infantem maximum in periculum certo coniceret.

§. XX.

Quando itaque obstetricans ex signis (§. 13. & 14.) allegatis de specie situs obliqui, & ex tactu (§. 17.) de obliquitatis gradu certior factus est, ante omnia parturientem pro diversa obliquitatis specie convenientem in situm collocare debet; in prima nimirum atque secunda specie superior corporis  
pars



pars demissius quam inferior ponenda. In tertia & quarta idem situs locum invenit, prætereaque in illa parturiens in dextrum, in hac vero in sinistrum latus parum obliquanda est; hoc facto, si partus nihilominus nimium protrahitur, loquimur enim de primo obliquitatis gradu, artis ope eundem adjuvare debet, quod fit: si caput cum ore uteri ab osse, cui insistent remove & in situm naturalem deducere tentat. In hunc finem obstetricans manum suam butyro vel oleo inunctam successive in vaginam immittat, atque duorum aut trium digitorum extremitatibus ad superiorem oris uteri oram applicatis huius orificii situm rectum promoveat, quo facto reliquum opus naturæ relinquat, quæ dolorum verorum ope ruptis membranis matrem a mole sua felicissimo cum successu certe liberabit.

§. XXI.

Quod si vero sola manus ad hoc opus præstandum non sufficeret, aut etiam plane inepta esset, id quod eo in casu interdum accidere solet: si obliquitatis gradus paullo major est; in quo casu digiti sæpissime nullatenus ad superiorem oris uteri oram usque pertingere, atque orificium deprimere possunt, tunc os uteri ab osse, cui insistit, quantum possibile removendum, atque immixtis successive duobus digitis ita dilatandum est, ut instrumentis in hunc usum exogitatis aditus in uterum pateat. Primum quod hoc in casu adhibere solent artis magistri est brachium

C 2

quod.

quoddam forcipis PALFYNI. Modus eo utendi frequens est: altera brachii extremitas oleo vel butyro illita, uno vel altero digito alterutrius manus duce per vaginam & ipsum os uteri prius dilatatum successive cranium inter & pelvim locatur; quo facto caput altera extremitate hujus instrumenti vectis vires gerentis pro diversa obliquitatis specie vel sursum, vel deorsum, vel crura versus mota ab offe depriunt, inque pelvis axin reducunt, & sic foetus exclusionem concurrente dolorum actione optatissimo cum successu promovent. Secundum a ROONHUY-SIO inventum atque huic scopo dicatum vectis ex chalybe fabrefactus optime politus est, in longitudinem unius pedis extensus, latitudinem duorum digitorum, & crassitiem totidem linearum habens in una extremitatum paululum incurvatus. Inventor quidem hujus instrumenti, ut non nisi totum corio obductum in usum vocetur, praecipit; Ast, si verum dicere fas est, plus incommodi, quam emolumenti inde exfurgere, illi mecum consentiunt, qui hocce instrumento utraque methodo confecto jamjam usi sunt. Melius igitur secundum meam quidem opinionem ii agunt, qui, ut maxime politum sit, operam navant, optime, qui ex ebore illud confici curant (a). Hocce modo descriptum instrumentum pari modo, ac forcipis brachium supra allegatum haud sine fructu in usum vocamus, & methodus eo utendi a priori omnino non differt.

§. XXII.

---

(a) Recueil periodique d'observat. de med. & t. 11. p. 415.

## §. XXII.

Ex voto hæ operationes magis succedunt, si operator fat mature, nimirum ante liquoris amnii effluxum præfens est: aquis enim per longum jam temporis spatium aut præmature nimis profufis uterus in tantum sese contrahit, in quantum aquæ spatium occupavere, foetum hinc arctiffime cingit, unde instrumentorum introductio caput infantis inter & pelvis ossa non solum difficilis valde, sed quandoque impossibilis plane evadit, ita ut hoc in casu nihil aliud superfit, quam ut obstetricans uno vel altero digito in orificium immisso illud pedetentim tamdiu dilatet, donec totam manum in uterum ingerere, foetumque pedibus prehensis sine mora extrahere possit.

## §. XXIII.

Explicatis, quid obstetricanti in primo cujuslibet speciei uteri obliquati gradu agendum, restat, ut etiam indicemus: qua methodo matrem in secundo & tertio gradu ab infante liberare debeat. Quod si igitur ex signis (§. §. 12. 14. & 17.) cognoverit fundum uteri gravidæ umbilicum versus propendere, orificium vero ossi sacro insistere, parturientem commodum in situm ponat, capite nimirum atque pectore demisse locatis, clunibus vero altius elevatis, eique simul imperat, ne doloribus ad laborem urgentibus cum iisdem cooperetur, sed a nimia depresso-

C 3

ne

ne abſtineat, quemadmodum etiam ipſe operator, quamdiu labores durant, quieſcere debet; hoc facto alteram manum butyro vel oleo prius inunctam ita in vaginam immittit, ut dorſum ejus os ſacrum reſpiciat, eamque eouſque introducit, donec extremitates digitorum uteri os non ſolum tangunt, ſed etiam id prætereunt, digitosque circa orificium coarctat. Alteram vero manum parturientis abdomini imponit atque eadem uteri fundum ſolenter ſurſum & deorſum verſus propellit; eodem vero temporis momento digitos interioris manus movere, atque os uteri ab offe ſacro removeſcere & in pelvis oſtium dirigere debet; quod artificium tamdiu reiterandum, donec uteri orificium pelvisque cavitas ſibi invicem reſpondeant; quo facto perturientem ſuperiori corporis parte aliquatenus iterum elevata commonefaciat, ut irruentibus doloribus cordate cooperetur, quem laborem mox fauſtus infantis partus largiter compenſabit. Optime quidem hæc in ſecundo obliquitatis gradu, ſi artis magiſter ante aquarum eruptionem jam præſens eſt, plerumque ſuccedere ſolent; aſt longe aliter ſeſe res habet, ſi aquæ vel multo jam tempore ante obſtricantis præſentiam effluxere, vel ſi tertius obliquitatis gradus adeſt: in priori enim caſu uteri pars inferior jamjam in pelvim illapſa eſt, os uteri cum infantis capite in offe ſacro quaſi infixæ hærent, & mater ex perpeſſis doloribus maximam jam virium partem amiſit. In poſteriori vero caſu uterus tranſverſum fere in abdomine ſitum obtinet, & a pelvis axi nimium deſlectit, quin eundem artificio indu-

inducto in naturalem situm reponere posset operator. Hisce sub circumstantiis nihil reliquum est, quam ut artifex digitis uteri orificium, si nondum amplum satis existit, pedetentim dilatet, manum in uterum introducat, infantemque vertat atque pedibus extrahat.

#### §. XXIV.

In secundæ speciei uteri obliqui secundo gradu, in quo fundus uteri dorso, orificium vero pubis ossibus obvertitur; si ante liquoris amnii eruptionem accersitus fuerit obstetricans, sequentem in modum perturbanti succurat. Ante omnia, si diu urinam atque fœces non excreverit parturiens, eandem mingere jubeat, alvumque leni clystere solvat, ne vesica repleta facile lædi possit, viaque liberior reddatur; postea de conveniente situ, qui cum eo, quem (§. præc.) indicavimus, unus idemque est, sollicitus esse debet; deinde parturientem, quoties doloribus corripitur, a labore feriari jubeat; tandem alteram manum in vaginam immittat, atque digitos ossa pubis inter & orificium ita locat, ut digitorum ungues ossa pubis respiciant; alteram vero manum abdomini parum supra ossa pubis imponat, atque interna manu os uteri caute præhendat, cauteque versus intestinum rectum premat: externa vero manu eodem tempore caput infantis parum retrudat primo, postea vero deprimat. Quamprimum operator sentit caput cum orificio intestinum rectum atque inferiora

riora versus aliquo modo moveri, parturienti impe-  
ret, ut corpus superius erigat, imo anteriora versus  
inclinat, quo uterus hoc motu a tergo versus pelvis  
axin propellatur; eodem vero temporis momento  
obstetricans manibus caput infantis deprimere & in  
pelvis cavitatem derivare tentet. Hisce peractis par-  
turiens doloribus ingruentibus, uti in partu facili,  
cum illis ad enitendum penitus foetum allaboret.  
Quando vero per notabile tempus membranæ jam-  
jam ruptæ sunt, aut tertius obliquitatis gradus adest,  
promptissimum in foetus versione auxilium quæren-  
dum erit; quoniam sub tertio obliquitatis gradu ute-  
rus difficillime aut nunquam in situm naturalem re-  
duci potest: cum vertebræ lumbares impediunt, quin  
fundus uteri, quemadmodum in reliquis situs obli-  
qui speciebus manu sufficienter attolli, & versus  
pelvis axin propelli queat, Præterea, sub hisce  
circumstantiis, capite licet in pelvim delapso, infan-  
tis matrisque res minime in vado sunt, quin potius  
periculum augeatur: capitis enim loco postea hu-  
meri in pelvis ossa impingunt, foetusque immobilis  
sic hæret, caput in pelvi locatum spatium ad agen-  
dum angustat, unde versio, ad quam tandem nihil-  
ominus confugere debet obstetricans, non nisi sum-  
ma cum difficultate perfici potest.

## §. XXV.

In tertia atque quarta uteri obliquati specie,  
in quibus fundus uteri in alterutro latere locatur,  
ori-

orificium vero oppositæ pelvis parti applicatur, sequentem in modum rem aggredi debet obstetricans: nimirum parturientem superiori corporis parte demissius quam inferiori locat, prætereaque si uteri fundus in dextro latere, eundem in dextrum latus, si vero in sinistro latere, in sinistram latus parum obliquat; deinde priori in casu dextram manum, in posteriori vero sinistram in vaginam introducit, digitosque ori uteri immittit, vel eosdem potius supra superiorem orificii uterini oram os inter atque orificium locare studet, illudque ab osse remove tentat; quibus factis parturienti, ut in oppositum latus sese convertat, imperat, foeminamque adstantem jubet illud latus, in quo uterus locatur, aliquatenus inferne sublevare, atque versus oppositum latus molliter movere; quo tempore obstetricans, ut orificium uteri manu sua propius ad pelvis cavitatem deducat, atque sic sensim in pelvim promoveat, omnem intendit operam. Hæc ab initio quidem membranis nondum ruptis felici successu quandoque fieri possunt; aquis vero a longo jam tempore effusis, vel utero in tertio gradu obliquato tutius est statim infantis versionem instituire, quam vano conatu uterum in naturalem situm reponendi, sicque & matrem & infantem in summum vitæ periculum conjicere. In nulla enim uteri obliquati specie facilius, infante licet optime sito, capitis loco aquis jam diffluentibus dextra vel sinistra foetus manus primo, & tractu temporis brachium ad humerum usque ex utero prolabitur.

D

Ma-

Matris ergo atque foetus incolumitati optime is consulit, qui ab initio statim laborum infantem vertit, pedibusque extrahit.

§. XXVI.

Cum ergo versio in summis omnium specierum obliquitatis gradibus optimum atque tutissimum sit medium, quo mater cum infante a certissimo interitu conservari solent, ut, qua ratione illa istitui debeat, paucis describam, haud inutile fore arbitror. Prima ergo obstetricantis cura eo tendere debet, ut parturientem commodum in situm reponat, in quem finem eandem in lectulum ab Excel. Dom. ROEDERER in suis elementis artis obstetriciae Cap. 12. §. 268. descriptum, femoribus divaricatis atque inflexis supinam decumbere jubet; ad quodlibet femur foeminam locat, quæ illud, quamdiu operatio durat, firmum tenet, ipse vero operator medium inter has duas foeminas locum occupat; manum postea atque brachium ad cubiti flexuram usque & ultra denudat, oleo vel butyro probe inungit, inque vaginam ad internum uteri orificium usque immittit, quod, si non satis apertum est, lenta dilatat vi, intrudendo nimirum unicum digitum, deinde duos qui sensim sensimque distendendi sunt, ut plus spatii acquirat, postea tres, quatuor & demum omnes, quos



quos itidem distendit, sicque hoc artificio os uteri magis magisque ampliat, & membranis nondum ruptis, illas digitis intrepidus dilacerat, aquisque exitum concedit; quo facto caput ad quemvis doloris impetum, quantum possibile, ad latera foveat, manuque sensim membranas inter atque foetum ita, ut palma semper foetui obversa maneat, in uterum ulterius penetrat, atque secundum ductum infantis a capite ad pectus, abdomen, partes genitales, femora & crura progreditur, donec ad alterutrum aut ambos pedes pervenerit, quos palma calcaneis obversa digitisque supra duorum pedum malleolos tam inquam externos applicatis deorsum ducit, prospiciens, ut infantis digiti pedum ipsius faciem respiciant, ex utero trahit sicque infantem vertit. Sæpius vero unicum tantum pedem invenire potest, quem nihilominus extrahere debet, quoniam alter hunc quandoque mox sequitur; quod si vero ob perversum situm, vel quoniam aliis membris implicitus est, priorem sequi recuset, pedi jam nato post calcem fascia quædam injicienda est, quam contortam faminæ cuidam adstanti tenendam relinquit, & si sinister v. g. pes adhuc quærendus, id quod ex pollice pedis extracti, si dextram obstetricantis manum respicit, indicare licet, manu sinistra dorso ejus ad interiorrem extracti pedis partem converso prope internam hujus pedis superficiem ad foetus genitalia usque ascendit, ubi necessario alterius pedis femur invenire debet, a femore postea ad crus, & ab hoc ad

pedem descendit , illum comprehendit atque ut priorem educit ; postea ambos pedes simul prehendit & lente ad clunes usque protrahit ; quoniam vero infans hocce in situ minime feliciter eniti potest , dum pedum digitis fursum , calcaneis vero deorsum spectantibus mentum infantis pubis offibus necessario inuncatur , & a trunco facillime avellitur , nisi pravus hic situs corrigatur ; hinc de ulteriori foetus inversione obstetricans sollicitus esse debet.

§. XXVII.

Præstat hanc , dum unam palmam manus foetus abdomini , alteram vero ejus natibus applicat , atque inter extrahendum infantem lente eoulsque invertit , donec pronus in ventrem procumbat , quo facto foetum linteaminibus prius involutum dextrorsum finistrorsumque movendo , semperque intestinum rectum versus educendo ultra ventrem extrahit ; tunc temporis parturientem omnes suas vires , nullis licet urgentibus doloribus , ad laborandum impendere jubet ; Ipse vero eundem infantem scilicet valide , caute tamen motu vacillante deorsum trahendo fideliter adjuvat , donec perfecta foetus exclusio coronet opus . Quoniam vero foetus caput corporis inversionem non semper sequitur , sed in pravo suo situ manet ,  
id

id quod ex successu præter consuetudinem difficili hãriolari potest artifex, & hocce impedimentum removere studeat, dum nimirum alteram manum pectus inter & vaginam in uterum introducit, atque uno aut duobus digitis in os infantuli inditis atque maxillæ inferiori applicatis caput infitum rectum reponit.

### §. XXVIII.

Felicem quidem ut plurimum eventum (§. præc.) descripta methodus sperare jubet, si in tempore nec tarde nimis ad parturientem artis magister accersitur; sed tristis eheu! & quotidiana experientia sæpe sæpius nos docet parturientes haud raro vel ex crassa obstetricum ignorantia, vel ex in tempestivo pudore opportunum ad agendum tempus negligere; unde vel mater vel infans, vel ambo sæpissime, si non plane vita privantur, saltem in summum vitæ periculum conjiciuntur: triiduum enim, quadriduum, quin & ultra quandoque incassum laborat, & ab ignorantibus obstetricibus, quoniam caput infantis ori uteri insistere ex tactu, quamvis haud sine magna difficultate, cognovere, ad laborandum adhuc excitantur, unde infantis caput tanta sæpius vi offi, cui insistit, apprimitur, ut foetus infracto cranio vita privetur, vel saltem ex nimia pressione atque contusione

D 3

tan-

tantam caput acquirit molem, ut per angustas vias ex rudiori obstetricis contrectatione, qua parturientem adjuvare falso sibi persuadet, vel ex nimia compressione a foetus capite facta angustiores redditas nullo modo transire queat; hoc in casu, nisi parturiens aut foetus, aut mater & infans simul succumbere debeant, nullo alio modo amplius locus superest, quam ut operator ad capitis infantuli molem imminuendam sese accingat; in quem finem cultro quodam in theca incluso, qualis ille est, cujus inventionem Experient. D. FRIEDIO præceptori meo nunquam fatis colendo debemus, capitis verticem perforat, foramen ope ferræ amplius reddit, & officula cranii pedetentim atque caute auferendo digitis ita dilatat, ut apto cochleari cerebrum commode eximere possit; quo facto ossa cranii comprimit, atque caput viis nunc proportionatum cum reliquo infantis corpore adjuvante matre vel sola manu, vel forcipis ope extrahit; quod si vero obstetricans hocce modo foetum educere necdum valeat, superest, ut ad extractionem brachiorum, quæ ad temporalem cranii regionem locare debet, sese accingat.

## §. XXIX.

Infante nunc in lucem edito omnis nervus in puerperæ conservationem intendi debet; quoniam enim  
enim

enim haud raro sub difficillimo hocce partu vel horrendis convulsionibus vel lypothimiis corripitur. Illæ, si foetu in lucem edito nondum silent, appropriatis antispasmodicis, & antepilepticis sub forma pulveris, potiunculæ &c. porrectis profligandæ. Sin vero magnam virium jacturam perpessa sit, hæc remediis Analepticis, confortantibus & roborantibus per tempus sufficiens in usum vocatis iterum restituendæ sunt. Inflammationi atque tumori partium genitalium prospicimus venæsectione, & si opus, aliquoties reiterata, remediis vulnerariis & discutientibus in vino coctis atque sub specie epithematis partibus tumefactis applicatis; internis vero remediis antiphlogisticis, temperantibus, & absorbentibus in forma pulverum, potiuncularum &c. præscriptis. Si ex vesicæ cervicæ vel sphinctere ab insigni sub partu compressione nimium debilitato urinæ incontinentia oritur, remedia roborantia in- & externa in usum vocari debent; si vero malum his cedere recusat, in Instrumentis auxilium quærendum est. Hunc in finem Clariss. HILSCERUS in dissertatione sua de urinæ incontinentia Jenæ edita (a) pessarium, quod ad uteri proidentiam alias adhiberi solet, in hac morbi specie summo cum fructu in usum vocari affirmat. Eundem in finem Dom. FAUWEL Chyrurgus Parisinus

---

(a) Heisters Chirurgie p. 952.

nus (b) vasa urinæ receptacula dicta ex corio fabricata, atque in basi epistomio munita conficitur atque venditur.

---

(b) Recueil periodique d'observation de medecin tom. II.  
pag. 273.

TANTUM.




**B**elehrt Geehrter Freund, den mir das Glück geschenkt,  
 Den Zärtlichkeit umgiebt, den stets die Tugend lenkt;  
 Geh und empfang' nun den Ruhm vor Deinen Fleiß,  
 Den zwar wohl jederman, doch ich besonders weiß.  
 Hygaa wählt und ziert, Wen? Den der mich ergötzt,  
 Weil Dich dieselbe selbst, vor ihren Liebling schätzt.  
 Beglückt send Siegende, beglückt die Watterstadt,  
 Sobald Sie wiederum Dich, als Arzt erblicket hat.  
 Alldort ich seh im Geist, wie ganz von Sehnsucht voll  
 Die schöne Phillis ist, die Dich beleben soll.

Aus treuer Freundschaft wähet dem Hochzueh-  
 renden Herrn Doctorando diese wenige  
 Zeilen

Sein ergebener Freund

JOH. PET. NORDMAN Moenofranc.  
 M. Licentiatus Opponens.



**S**ehr schwer hält die Geburt, wenn Mutter und das Kind  
 Quer und verkehrter weis sich in der Lag verhalten,  
 Wie dieß, Geschätzter Freund! selbst Deine Worte sind,  
 Auch die Erfahrung lehrt bey Jungen wie bey Alten.

E

Doch

Doch quer und überwerch ist hier Dein Vortrag nicht,  
 Du hast, was Du gesagt, mit Grund zur Welt geböhren;  
 Erfahrung und Vernunft, die selbst vor Dich spricht,  
 Zeigt das, was klar und wahr, Du Dir hast auserköhren.  
 Darum Glück zu mein Freund, ich seh zum Voraus ein,  
 Dein Thun wird fernerhin der Welt ersprießlich seyn;  
 Weil Wahrheit, Wiß und Licht es jederzeit begleiten,  
 Und bey der Kranken-Schaar Dir Ruhm und Ehr bereiten.  
 Drum nimm den Purpur an, den Dir Apollo weyht,  
 Den Dir auch Dein Verdienst schon längststen prophezeit;  
 Und zieh damit geschmückt, gekleidet und geziert  
 Nach Deinen Freunden hin, die längst Dein Wehrt gerührt.

Zur beständigen Erinnerung getreuer Freund-  
 schaft setzte dem Hochzuehrenden Herrn  
 Doctorando bey

F. E. AGRICOLA Hagiopolitano  
 Eisfeldiacus M. C. Oppon.

Ter felix! jamjam cinget tua tempora laurus,  
 Summaque Doctorum præmia fronte geres;  
 Gratulor, incolumem sic te pia numina fervent,  
 Ut tua coelesti gloria crescat ope

In



In qua jam terra vivis, Fidelis Amice  
Sis memor usque mei, qui memor usque Tui.

Pauca hæc Prænobili atque doctissimo Do-  
mino Candidato amico suo exoptatissi-  
mo apposuit

FRANC. FIDELIS GAES Friburgensis  
Brisgojus M. C. Oppon.



Mein Freund, ich sehe dich erfreut, den Ehrenkrantz  
erringen,

Dir biet Hygæens Treu die Lorbeer-reiche Hand:

Du folgest dessen Wink, die dich als fähig fand

Nunmehr Morbonens Kraft auch selbstn ihren Gift zu  
zwingen.

Die Vorsicht lasse nur mein Wünschen in Erfüllung gehen

Daß ich zu meiner Lust und zu der Deinen Ehren

Dich sehen mög die Zahl berühmter Werkte mehren;

Dein Ruhm und Glücke müssen auch wie feste Cedern stehen.

Der ferneren Freundschaft seines hochgeschätz-  
ten Freundes und zu beharrlichen gütigen  
Andenken empfehlet sich hiermit glückwun-  
schend

Deffen ergebenster Freund

FRANCISCUS MÜLLER Moenofrancof.  
M. C. Oppon.

E 2

Cum

Cum te jam doctis Tua magna Talenta probarunt  
Auguror & Studiis non nisi RARA Tuis.  
Ipse potens Deus & Celsi Moderator Olympi  
Adspiret coeptis dulcis Amice Tuis  
Ut Felix Patriis post hac verferis in Oris  
Ex voto & cedant singula vota Tibi.

Hæc Amico suo confirmandæ ulterioris ami-  
citæ ergo accinit:

GEORGIUS SCHENCKBECHER. Argent.  
M. C. Oppon.



Strasbourg, Med. Diss., 18

ULB Halle  
008 564 809

3



WIP





DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
DE  
PARTU DIFFICILI  
EX POSITURA UTERI OBLIQUA

13

SUB DIV

GRATIOSIS

PRO

SUMMOS IN  
PRIVILEGIA

SOLENNI ERUD

BENEDI

RITTI

AD D. I.

A R

Typis SIMONIS

